



Boehmer Trage. 1798 nr. 1 d ist hinter } Eingeklemt  
1798 nr. 4 b oball "  
" nr. 1 e

DE  
SVBHASTATIONIBVS  
OBSERVATIONES TRES  
EX PRINCIPIIS IVRIS SAXONICI

— . . . —  
QVAS  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
PRAESIDE  
IOANNE AVGVSTO HIERONYMO  
THALWITZERO

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE, CVRIAE PROVINCIALIS ET CONSISTORII  
ECCLESIASTICI VITEB. ADVOCATO

DIE XII. M. AVGVSTI A. R. S. MDCCXCVI.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

A V C T O R

CHRISTIANVS LVDOVICVS KREBS

BARBIENSIS.

— . . . —  
VITEMBERGAE,  
LITERIS TZSCHIEDRICHII.





### Obferuatio I.

*Subhaftatio a debitore, cuius bona creditoribus, quo tempore  
folutionem urgent, non fufficiunt, inftituta, pro volun-  
taria haberi requir.*

**I**n Saxonia inter fubhaftationem neceffariam et voluntariam etiam  
diftingui, expediti iuris eft. Sufeipitur enim illa ex legis difpo-  
fitione 1) ob vrgens aes alienum, fi debitor poft factam executionem  
et immiffionem alio modo creditori fuo non fatisfaciat, aut pluribus  
credi-

1) cf. Ord. Proc. Sax. Recogn. Tit. XXXIX. §. 10. 11. et Tit. XII. §. 1.  
Ex §pho 11. in fequentibusque Tir. XXXIX. O. P. R. nec non Mandato  
Subhaft. d. d. 26. Aug. 1732. in C. C. A. Tom. I. p. 295. patet fimul, quid  
iudici in fubhaftationibus neceffariis obferuandum fit.



creditoribus ad solutionem ab ipso exigendam concurrentibus bona ipsius non sufficiant. Voluntaria vero extra causam talis necessitatis ex arbitrio domini instituitur: quo casu, vtrum res huic venditioni expositas plurimum licitanti concedere, an ab ista, si minus aequum pretium videatur, recedere velit, eius potestati permittitur. 2) Plerumque autem ad instantiam coheredum, qui in communiione rerum immobilium diutius perseverare nolunt, instituitur, 3) ac praecipue 4) ad verum rei pretium indagandum tendit, 5) quippe cum istud vix alia via certius explorari possit. 6) Quod vero eam subhastationem, quae a debitore aeris alieni magnitudine oppresso, quo tempore creditores solutionem ab ipso exigunt, instituitur, necessariam esse putem, variis moueor rationibus. Principio enim adest eadem causa, quae ad subhastationem necessariam impellit, creditorum nempe in nominibus exigendis acerbitas; declarat praeterea tacite, qui ad publicam venditionem rerum suarum ob vrgens aes alienum prouocat, se alio modo creditoribus satisfacere non posse, ideoque necessitate coactus istam fieri postulat. Quae autem ex necessitate fiunt, ex libera hominis voluntate, a qua subhastatio voluntaria pendet, nullo modo proficiuntur, et quis actum dicat voluntarium a persona, quae ad eum compelli poterat, susceptum? Nemo vero inficias ibit, debitorem


2) cf. BERGER, in Respons. Part. II. resp. 54.

3) cf. HOMMEL, in Rhapsod. Obl. 358. et LEYSER, in Medit. ad Pand. Spec. CXV. med. 9.

4) interdum enim rerum distraharum causa instituitur, cf. PHILIPPI, in Tract. de Subhast. c. I. c. 3. n. 12 seqq.

5) cf. PHILIPPI, l. I. c. I. c. 3. n. 16 et 25.

6) cf. PHILIPPI, l. I. c. II. c. 8. n. 5.



rem obaeratum, si creditores sibi ulterius moram fieri non patiantur, subhaftationem rerum suarum impedire non posse, eamque adeo isto etiam invito 7) esse instituendam, vt taceam, pluribus creditoribus solutionem a debitore communi, cuius bona soluenda non sunt, eodem tempore postulantibus, concursum creditorum re vera existere coepisse. 8) Equis vero subhaftationem facto creditorum concursu institutam pro voluntaria declarare audeat? Quibus rationibus perpensis non difficulter intelligitur, nihil interesse, vtrum debitor aere alieno oppressus, creditoribus solutioni instantibus, ad subhaftationem ipse prouocet, an vero haec ob eandem causam a iudice ex legum auctoritate decernatur.

## Obferuatio II.

*Iudici a lege subhaftationis, qua res immobilis ei, qui maximum in termino pretium offerat, addicenda promittitur, recedere non licet.*


Re immobili haec subiecta inter licitantem, qui reliquos omnes professione sua superauit, et iudicem, qui istam venum publice exposuit, obligationem statim intercedere, in aprico est positum. 1)

Vti

7) cf. PHILIPPI, I. I. c. I. c. 3. n. 10 et 37.

8) vid. O. P. R. Tit. XLI. §. 1.

1) cf. HOMMEL, I. I. obf. 586. n. 3.



Vti enim ille ad pretium, quod professus est, soluendum, et ad reliquas conditiones, quae venditioni adiectae sunt, adimplendas tenetur: ita iudex ad rem ipsi addicendam obstrictus est. 2) Ista vero obligatio non ipsa negotii natura solum nititur, sed legibus etiam expressis; 3) et quis, quaeso, cum republica contrahere auderet, si iudici, ut a promissis suis impune recederet, esset permissum? quod quidem eo magis attendi meretur, cum, ut ad publicas emtiones homines alliciantur, ciuitatis interfit. 4) Quodsi igitur commissarius ob pretii oblato exiguitatem fundum licitanti addicere recuset, interea vero, dum ad committentem de ea re refert, reperitur forte, qui pinguius pretium offerat, priori emtori ius quaesitum inde auferri nequit, immo vero commissarius, ut eum additione facta rei dominum constituat, recte compellitur. 5)


2) cf. MENKE, in Process. Tit. 39. §. 72.

3) vid. L. 2. C. ne fiscus rem, quam vend. euincat. L. 5. C. de oblig. et act. et §. 2. I. de donat.

4) cf. HOMMEL, l. l. obf. I. n. 1. 2 et 28 fqq.

5) casum hunc pretii ex HOMMELII, l. l. et obf. I. n. 4. cf. praeterea MENKE, l. l. et PHILIPPI, l. l. c. III. c. 13. n. 9 et 27 fqq.





7

Obferuatio III.

*Debitor obaeratus additionem rerum suarum, creditoribus salutionem flagitantibus, publicae venditioni subiectarum propter pretii ultimo loco oblati exiguitatem impedire nequit.*

Huius quidem, quod in rubro positum est, adferri veritatem potissimum insequentes rationes extra dubitationis aleam collocare mihi videntur. Principio enim, et haec praecipua ratio est, pretium, quo postremus ex licitantibus reliquos omnes superavit, pro vero iustoque habetur, 1) atque nulla, ne enormissima quidem, quae intuitu eius facta esse dicatur, laesio attenditur. 2) Quo igitur iure debitor, rem suam maioris pretii esse, clamitare, et sub vana laesionis sibi illatae imagine additionem posset impedire? Cum porro leges nostrae expresse disponant, 3) isti, qui reliquos licitando progressus est, res haec publicae necessario subiectas per mallei ictum addici, adiudi-

cari-


- 1) cf. HELLFELD, in Iurisprud. for. §. 1030. et PHILIPPI, I. I. c. III. c. 6. n. 10 sq.
- 2) cf. Decis. XIX. de ao. 1746. Cessat ergo remedium, L. 2. C. de resc. vend. cf. WERNER, in Obs. for. P. III. obs. 59. n. II.
- 3) cf. O. P. R. Tit. XLI. §. 1. et Mand. Subhast. supra in not. 1. ad Obs. I. laud.



carique debere, et nec protestationem, nec appellationem interpositam respici velint, subhastatio autem a debitore aeris alieni magnitudine oppresso, creditoribus solutionem urgentibus, instituta, quemadmodum ex Obs. I. constat, pro necessaria habenda sit, eiusmodi debitori etiam ius, additionem ob pretii oblatai exiguitatem impediendi, competere nequit, et quidem eo minus, cum in subhastatione necessaria non cum debitore, ceu pristino domino, sed cum magistratu contrahatur, 4) ut nihil dicam de eo, quod hastae fiscalis rite erectae ea vis et fides sit, ut nullo modo conuelli queat. 5)

4) cf. HOMMEL, in Obs. I. n. 28.

5) cf. L. 5. C. de fide et iure hastae fisc. et Dionys. GODOFREDVS, ad h. l. Praeterea vid. PHILIPPI, l. l. c. IV. c. 13. n. I. et HOMMEL, in Obs. I. n. I.



Wittenberg, Diss., 1796-98  
vd18

ULB Halle


004 335 902

3



f  
sb.







DE  
SVBHASTATIONIBVS  
OBSERVATIONES TRES  
EX PRINCIPIIS IVRIS SAXONICI

1796 2a  
— . . . —  
QVAS  
ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE  
P R A E S I D E  
IOANNE AVGVSTO HIERONYMO  
THALWITZERO

IVRIS VTRIVSQVE DOCTORE, CVRIAE PROVINCIALIS ET CONSISTORII  
ECCLESIASTICI VITEB. ADVOCATO

DIE XII. M. AVGVSTI A. R. S. MDCCXCVI.

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

A V C T O R

CHRISTIANVS LVDOVICVS KREBS

BARBIENSIS.

— . . . —  
VITEMBERGAE,  
LITERIS TZSCHIEDRICHII.

